Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2507

Quelle:
Copyright:

DCLXI.

540 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 177. 4. currente calamo a diversis conscriptus sequentia complectitur: I. Compendium *Summae Raymundi de Pennaforti* O. P. Initium: *Iuxta distinctiones Sumule Raymundi vtiliora quedam excerpta clericis simplicibus quibus non vacat magis legere in hoc opusculo proponuntur, non quidem eo processu quo ibi sed primum de sacramentis ecclesiasticis. Secundo de quibusdam necessariis ad regimen animarum. Obmittam quoque canonum allegaciones causa breuitatis et quia credere oportet addiscentes.* &c. Itaque *Partib.* II. et *Capp.* XII. Materiam *Sacramentorum*, *Excommunicationis* et *Interdicti*, deque *Festiuitatibus* et *Sepultura* pertractat. Ad calcem minio: *Explicit sumula bona et vtilis excerpta ex summa Reymundi et ex Decretalibus.* Mentio ejusmodi Compendiorum in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 109.

II. *fol.* 26. p. 2. *Concordia in articulis fidei in dictis prophetarum et apostolorum.* Cuivis Articulo Symboli adponitur Dictum παραλληλον alicujus Prophetae. Ita: Ieremias. *Patrem vocabitis qui fecit celum et terram.* Petrus. *Credo in Deum patrem omnipotentem.* &c. Adscriptae sunt *Formulae* quaedam *Epistolares* salutandi, et prima quidem ad *Urbanum* VI. anno 1389. extinctum. Item *Sententiae* et *Dicta* quorundam veterum Sapientum levis pretii.

III. *fol.* 29. p. 2. *Academiae Parisinae* Literae ad Concilium *Constant.* quae incipiunt: *Egregiis viris — Pacis Zelus sancte fidei* &c. ad unionem hortantur et editae sunt ab *Herm. v. d. Hardt Actorum* T. IV. p. 123. Rursum his adscripti Tituli fictitii *Soldani* et Regis *Babilonie* et metricum Certamen Virtutum et Vitiorum hoc ingressu:

Vos qui sub Christo mundo certatis in isto
Discite virtutum conflictus et viciorum.

Item Elenchi duo in *Summas Raymundi de Pennaforti*.

IV. *fol.* 34. p. 2. *Incipit Summa de foro penitentiali valde necessaria et vtilis maxime Sacerdotibus Curatis Composita per reuerendum patrem Berengarium quondam episcopum Tuscolanen. Berengarius* iste non *Stedellus*, ut quidam Codicum vitio legerunt, sed *Fredoli*, ut conspirant *Ciaconius* in *Vit. Pontiff.* et *Cardd.* T. II. col. 373. et *Baluzius* in *Vit. Papar. Avenion.* T. I. p. 631. ortus e Castro de *Veruna* non procul *Montepessulano* ab Episcopatu *Biterrensi* promotus ad *Tusculanum* et Cardinalatum, praefectusque Poenitentiariae usque ad an. mortis 1323. multa gessit, variaque scripsit, quae refert *Baluzius cit.* excepta *Summa* nostra, quam unacum *Ciaconio* ignorasse videtur. Novit eam nominetenus *Fabricius Bibl. med. Lat.*